

I N D E X

METAPHYSICORUM

DE ENTE.

I.	O ntosophia.	283
II.	Ens in prima & generalissima significatione.	ibid.
III.	Ens in secunda & minus lata significatione, quod revera Aliquid est, & à Nihilo distinguitur.	285
IV.	Ens in tertia & magis propria significatione. Ejus attributa divisioque primaria.	290
V.	Entis Essentia.	292
VI.	Entis Existentia.	296
VII.	Duratio aliaque attributa ad Existentiam spectantia.	300
VIII.	Unum & Multum.	303
IX.	Verum & Falsum.	307
X.	Bonum & Malum.	311
XI.	Perfectum & Imperfectum.	314
XII.	Relatio generaliter spectata.	318
XIII.	Principium. Causa. Actio.	320
XIV.	Vis agendi.	323
XV.	Efficientis & Finis differentia.	325
XVI.	Distincta & Opposita.	327
XVII.	Ordo prioris & posterioris.	329
XVIII.	Idem & Aliud.	331
XIX.	Totum & Pars. Simplex & Compositum. Completum & Incompletum.	333
XX.	Subjectum & Adjunctum.	334
XXI.	Signum & Signatum.	336
XXII.	Mensura & Mensuratum.	338
XXIII.	Exemplar & Imago.	ibid.
XXIV.	Compensatio Rerum.	339

I. ON.

I. ONTOSOPHIA.

1.  St quædam scientia, quæ contemplatur ens *quatenus ens est*, hoc est, in quantum communem quandam intelligitur habere naturam vel ^a naturæ gradum, qui rebus corporeis & incorporeis, Deo & Creaturis, omnibusque adeo & singulis entibus ^b suo modo inest.
2. Ea vulgò *Metaphysica*, sed ^c aptius *Ontologia* vel scientia Catholica, *eine allgemeine wissenschaft* & Philosophia universalis nominatur.
3. Quæ autem sic rebus communia sunt, ut omnes earum ^d classes exsuperent, uno nomine appellantur *Transcendentia*, was allen und jeden dingen gemein ist / Gr. *ταῦτα πέραν ἐπὶ πάντα*, quod in supremo rerum omnium apice concepta, omnia permeent & ambiant, ad omnia rerum genera pertineant. Cujusmodi sunt ens, unum, verum, bonum, &c. Hæc enim non modò de Deo rebusque creatis omnibus, verum etiam de se invicem prædicantur, ut, cum veritas una & unitas vera dicitur.
4. Entis initio statim tres distinguendæ significationes. Nam vel denotat omne quod cogitari potest (distinctionis causâ nonnullis vocatur *Intelligibile*) & huic non potest opponi quicquam; vel norat id, quod revera *Aliquid* est, nemine etiam cogitante, cui opponitur Nihil; vel significat *Rem*, quæ per se existit, ut Substantia, cui solent opponi *Ac* identia.
5. Quamvis autem Ens in tertia significatione acceptum, sit potissimum illud, quod in Ontologia per sua attributa ac divisiones explicatur, tamen ad meliorem hujus notitiam comparandam nonnulla de Ente in prima & secunda acceptione præmittimus, inchoaturi universalem philosophiam ab *Ente cogitabili*, quemadmodum à singulari incipiens ^e prima philosophia nihil prius considerat *Mente cogitante*.

II. Ens in prima & generalissima significatione.

6. Quod à vulgò *Res* & *Aliquid*, à Dialecticis *Thema*, à Philosophis etiam *Ens* appellatur, vocibus hisce in latissima significatione sumtis, illud ita describi potest: Ens est quicquid quovis modo est, cogitari ac dici potest. Alles was nur gedacht und gesagt werden kan. Ita dico Nihil, & cum dico *cogito*, & cum cogito, *est* illud in intellectu meo.
7. Aio *omne ens posse dici*, hoc est, nominari, voce viva vel scripta enunciari. Hinc sache res à sagen dicere, & Hebr. *Dabar* simul rem & verbum significat. Ipsum Res, si non à reor, est à *ῥέω* loquor. Ineffabile & inenarrabile sæpe quid dicis, cum de eo faris & narras. Tunica aliqua oculi Anatomicis innominata, & multi scriptores *ἀνώνυμοι* hoc ipso, quo nomen habere negantur, nominantur.
8. Præterea, *omne ens potest cogitari* seu intelligi, ideoque *Cogitabile* & *Intelligibile* appellatur, simili ratione, qua sensibile, quicquid sub sensum cadit; appetibile, quicquid appeti potest. Germ. Ding res & denken cogitare ejusdem sunt originis.
9. Cogitatur autem Ens, cum animo percipitur, cum de eo dubitatur, vel affirmatur, vel negatur, vel probatur aliquid. Ita licet incomprehensibile quid & imperscrutabile dicas, eo ipse ramen mente illud apprehendis. Hinc sequitur, *non posse quicquam opponi Enti* sive Intelligibili, de quo in præsentia agimus, ne per mentis quidem fictionem. Nam si quid propriè ei opponi posset,

^a *Natura gradum* Vide §. 200.

^b *Suo modo* si non univocè, saltem analogicè.

^c *Aptius* id dices ex §. 64.

^d *Classes* quo nomine vulgò intelligunt decem prædicamenta. Nobis duæ sunt præcipuæ Rerum classes, §. 49.

^e *Prima philosophia* sic dicta non propter universalitatem objecti, de quo agit; sed quod seriò philosophaturus ab ea debeat incipere. Nempe à cognitione suæ mentis & Dei &c. Hæc prima philosophia sex Meditationibus Cartesii continetur. Summam ejus etiam prima pars Principiorum exhibet.

posset, id utique foret *Non ens* sive *Non intelligibile*. At eo ipso quo *Non ens* sive *Non intelligibile* opponimus, hoc intelligimus, quia per intellectum ista sit oppositio. Ergo quod *Non intelligibile* tunc dicitur in oratione, sit intelligibile in ratione, unde *Rationis ens* nominatur.

10. Entis ita spectati conceptus *primus* est seu generalissimus & summus, quoniam supra illud genus nullum possumus apprehendere. Nam eo ipso quo quid apprehendimus, jam est intelligibile, & per consequens *Ens* in prima significatione. At si non ab universalibus descendendo, verum à singularibus ordine Logico gradatim ascendendo incipias numerare, Entis conceptus erit *ultimus*.

11. Entis conceptus est *simplicissimus*, quoniam generalissimæ isti cogitationi, nimirum quod res sive aliquid sit de quo agitur, in omnibus, quas de rebus quibuscunque habemus, cogitationibus semper aliquid superadditur. Saltem nullus in animo nostro conceptus datur, qui subtilior ac tenuior sit & pauciora includat. *Ens* est quasi primum & subtilissimum filum, cui paulatim alia atque alia crassiora addenda sunt, ut integram aliquam telam philosophicam pertexamus, quod facimus dum ab hoc generalissimo ad specialia descendimus, atque hoc & illud *Ens*, ut Deum, Stellam, Animum, Corpus, &c. mente concipimus.

12. Entis conceptus *notissimus* est, quia de quocunque etiam objecto tractetur, rem sive aliquid esse, facillimè intelligit unusquisque. Nec potest quid adeo ignotum animo nostro occurrere vel in quaestionem venire, de quo non prius ponatur ut notum, quod ens sive res sit. Quoties enim quaerimus, quid hoc rei? qua de re disputatis? quid rei est Chimæra? generalissimus Entis conceptus (cujus ambitu & vera & ficta quælibet, & nihil & aliquid comprehenduntur) animo jam inest. Hoc ex eo patet, quod interroganti, qua de re disputas aut loquaris, rectè potes respondere, te de Nihilo, vel Cerbero aliove figmento loqui. Ergo Cerberus aliaque figmenta, & ipsum Nihilum conceptu Rei seu Entis communissimo & notissimo tunc continentur.

13. Quamvis autem generalissimus Entis conceptus dicto modo sit notissimus, non tamen est satis distinctus & plenus, sed *confusus & imperfectus* admodum, & qui minimè implere mentem humanam aut satisfacere quaerenti potest. Nam etsi semper sciamus & ponamus, id, de quo agitur, esse rem, nunquam tamen in eo acquiescimus; sed specialius illud rei nobis exprimere perimus, interrogando, *quid rei?* Quod autem magis a generalibus ad specialia descendimus, eò distinctior redditur conceptus, & notius evadit id quod quaerebatur. Quamobrem non est cur mireretur lector, si in sequentibus nos videat subinde a transcendentibus ad inferiora delabi. Id enim faciendum fuit, ne jejuna nimis tractatio foret.

14. Confirmantur ea, quæ de conceptu Entis diximus, exemplo cognitionis illius, quam apprehendimus in infantibus. Hi enim licet nihil *proprie* de eo, quod in considerationem venit, cognoscant, illud tamen non ignorant, quod sit res sive aliquid. Inde *communissimum* Rei & Alicujus nomen & conceptum omnibus, etiam iis, quæ revera nec sunt nec esse possunt, tribuere solent. Quem morem sæpe imitantur ipsi adulti, quando personæ aut loci alicujus nomen *proprium* eis non succurrit. Tum enim *commune* Rei, & Alicujus vocabulum usurpant. Sic Germ. *der Dinge* / Gal. *M. chose*, er wohnt zu Dings / à chose, bey Dinge.

15. Et hæcenus quidem vidimus; qua ratione ens omne dicatur & cogitetur, sive quis ejus sit conceptus: Unde facile constabit, quomodo accipiendum sit illud, quod *omne ens habeat aliquid esse*. Nempe, si non existit extra rationem & orationem nostram in mundo, saltem est in sermone, cum dicitur, atque inprimis est in intellectu, dum cogitatur.

16. Hoc esse, quod ei tribuitur, quatenus intellectui objicitur & ab eo cognoscitur, vocatur *Esse objectivum* seu esse cognitum Entis, quo uno reliqua, videl. quod cogitari ac dici possit, facile comprehenduntur, adeo ut esse, cogitari ac dici ratione Entis hujus, quod est significationis latissimæ, non magnopere differant.

17. Respectu hujus entitatis objectivæ, quatenus eam in mente nostra habent, vel accipiunt, vel amittunt, res dicuntur mentem occupare, venire in considerationem, venire in mentem, in den sinn kommen sub intelligentiam cadere, incidere. Es wil mir nit einfallen / es ist mir entfallen / excidit, fugit, præterit me, &c. Sic dicimur res capere, apprehendere, tenere. Hebræis id

de quo cogitamus dicitur *ascendere in cor*. Germani dicunt, etwas zu hergen nehmen / beherzigen / cor pro animo sumentes, sicut etiam Latini in verbo recordari & aliis. Gallis *prendre à cœur* est considerare, *apprendre par cœur* memoriæ mandare.

III. *Ens in secunda & minus lata significatione, quod revera Aliquid est, & à Nihilo distinguitur.*

18. Si illud, de quo cogitamus, nullam involvit in cogitatione nostra *repugnantiam* (wenns tein unmöglich ding ist / wie etwa ein bleyerner goldgälden oder viereckichter zirkel) adeo ut judicemus id esse in rerum natura aut saltem esse posse, tunc ei non modò *esse objectivum*, verum etiam *esse reale* attribuiamus, nec solum *ὄντος*, intelligibile, sed etiam *ἰν*, reale quid & propriè Aliquid, *τι*, ichts / etwas appellamus.

19. *Aliquid* igitur est, quod non tantum mente cogitatur vel cogitari potest, sed alio præterea modo est aut certè esse potest: sive in mente, ut omnes cogitationes nostræ, sive in mundo, ut omnes res corporeæ, adeoque ipsa mens & mundus universus. Nempe cogitationes nostræ sunt revera aliquid, quia etiam si non cogitemus nos cogitare, certum tamen est, nos interim posse cogitare. Cogitationes equidem nostræ non sunt nisi cogitemus; sunt tamen, *licet* eas esse non cogitemus; sunt, licet de iis non cogitemus; hoc est, habent esse reale, etiam si non habeant esse objectivum.

20. Et quoniam sic omne illud, quod Aliquid est, aut revera aut saltem virtute ponitur extra nihilum in natura, hoc est, invenitur, aut certè inveniri potest in rebus intelligentibus vel corporeis, vocari etiam solet *Ens positivum*, *ὃν θετικόν*, seu aliquid positivum, & suâ naturâ aptum est positivo seu affirmativo mentis *conceptu* apprehendi. Unde & *nomen* affirmativum meretur, licet usu receptum sit, ut negativa nomina rebus positivis indantur, dum cogitationes nostræ recte ordinem non observant. Sic maximè positivæ Dei perfectiones vulgo negativis vocabulis appellantur, infinitas, immortalitas, immensitas, &c. Ipsum negotium Lat. dicitur q. nec otium. Similia sunt Gr. ἀλογία, Germ. unmüßigkeit.

21. Axioma: *ad realitatem sufficit, ut quid esse possit, licet revera non existat*. Daß ein ding (cogitabile) sit etwas reale quid) geschähet und ausser dem was gang und gar nichts ist gesetzt werde (aliquid positivum) ist's genug daß es seyn könne (satis est quod non implicet contradictionem). Sic rosam & nivem semper aliquid esse affirmamus, dum utriusque rei naturam, proprietates & operationes attendimus, licet illam hiberno, hanc æstivo tempore existere nequeamus. Simili ratione, *satis est ad realitatem talem, ut quid possit esse tale, quamvis hic & nunc tale non existat*. Ita Seneca: Disertus est etiam qui tacet. Sic bonus musicus etiam qui dormit, est ac dicitur; bonus miles etiam qui in prælio jam non versatur. Nam omnia tempus habent. Eccles. 3.

22. *k Co-*

f ascendere in cor] ut Jer. XIX. 5. Et Ezech. XX. 32. quod ascendit in spiritum vestrum, nullo modo fiet. Id scholasticis terminis sic efferres: quod apud vos esse objectivum habet, id nunquam accipiet esse reale. Ag. X. 4. Orationes tue & elemosyna tua ascendant in memoriam in conspectu Dei.

g repugnantiam] Nota quod omne impossibile sit aliquid compositum à mente & in mente, nunquam simplex conceptus. Similis est aliorum figmentorum ratio.

h licet eas esse non cogitemus] nempe per actum reflexum, cujus ipsæ cogitationes objectum sint, ut patet è verbis hujus §. ultimis. At ipso actu directo cogitantes,

etiam cogitare nos consilii sumus. aliàs enim cogitatio non esset. Atqui illud consilium esse etiam cogitare est.

i simili ratione] Sicut in specie tale aliquid vocatur, etiam si non sit actu tale: ita in genere aliquid dici potest, licet non sit actu jam aliquid. Sic dicimus, der psalm hat eine gute melodey / nempe dum canitur, etiam si nunquam canatur. Scalig. Ex. 71. sect. 1. Etiam si nullus homo sit justus, tamen justitia est habitus anima distribuens secundum rectam rationem, &c. Plenius hæc intelliges ex iis, quæ de Essentia & Existentia dicuntur infra. Horat. lib. 1. Sat. 3. Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque Optimus est modulator &c.

22. * *Cogitatio in rebus nihil mutat*, quod scholasticè, hoc est, barbarè sic diceret alius: esse rei objectivum neque dat neque adimit ullam ipsi realitatem. Man denke oder man denke nicht abn ein ding / bleib es darumb eben das was es ist. Quod notandum, ne quis iis, quæ §. 17. habuimus, in errorem ducatur.

23. At *cogitatio utique ponit aliquid in mente cogitante*. Est enim positivum quid in mente, quod cogitet de aliqua re, quod tale ac tantum objectum, v. g. Deum sibi repræsentet. Das abdenken (esse objectivum) ist wirklich und in der that etwas im gemüthe / welches denkt; nicht aber in dem ding / darahn gedacht wird. Ergo, quod uno respectu aliquid est, saepe alio respectu nihil est.

24. *Nihilum*, quod Alicui generatim opponitur, *ist nichts / aliàs* Non ens appellatum, est quicquid nullum esse reale habet. Hinc dicitur aliquid negativum & suâ naturâ, hoc est, cum nulla accedit fictio, tantum negativè, id est, per remotionem & absentiam entis animo concipitur, & negativo solum nomine dignum est: quamvis contrarium saepe usu veniat, ut cum mors & finis, quæ revera negationes sunt, affirmativis vocabulis insigniuntur.

25. Hinc *Non ens nulla sunt accidentia* (attributa, qualitates) scilicet realia, ipsi inhærentia, utpote quod eorum, quæ Entis propria sunt, per se ne hilum quidem participat, unde & *Nihilum* dicitur. Hoc ad specialia sic applicare licet: quod non est hoc ens, ei neque hæc attributa competunt, ex. gr. qui non est legatus, is jure nec legati privilegii fruitur. Qui non est Deus, ei nec proprietates divinæ tribuendæ.

26. Porro dum aliquid & nihil, esse & non esse inter se conferuntur, mens nostra alia multa format axiomata. Et primum quidem sic dicit: quodlibet, intellige ens generalissimè, aut est aut non est, sive, de quolibet vera est affirmatio aut negatio. Ex quo inferitur illud: *impossibile est idem simul esse & non esse*, seu, de eodem pariter affirmari & negari. Nam si quodlibet aut est aut non est, fieri nequit, ut quid simul & sit & non sit. Hinc *plura alia derivantur, uti hoc: factum*

k *Cogitatio* intelligit cogitationem, qua aliquid nobis repræsentamus; quæ est perceptio intellectus: non eam, qua aliquid esse jubemus, quæ est actus voluntatis. Nam ad nutum voluntatis nostræ movetur ex. gr. corpus nostrum.

l *mutat* idem §. seq. exprimitur verbo, *ponit*. Utrumque axioma illustratur exemplo picturæ, quæ mutat ac ponit aliquid in pictore & in tabula; non autem in re depicta: licet hæc passivè depicta, delineata, appelletur. Sic Deus dicitur intelligi & cognosci, nec tamen quicquam patitur aut recipit.

m *Non ens* hoc loco illud negat Ens in secunda significatione acceptum. Sin opponatur Enti in tertia significatione, tum rectè aliqui statuunt, dari medium inter ens & non ens, nempe modum, & similia.

n *fictio* Confer §. 36. 37.

o *negationes* Opponitur ex §. 35. quod non sint mere negationes; sed ex esse & non esse compositæ notiones. Resp. Magis expressè negant, quàm affirmant. Formalis autem significatio hic attenditur.

p *Impossibile est idem simul esse & non esse*. Hoc vulgo habetur pro primo principio. Tu verò attende illud, quod dico verbo inferitur. Nimirum disjuncta enunciatio quæ præcedit (per aut, aut) quæque generalissimam intelligibilis in ens & non ens divisionem exprimit, non permittit ut copulata enunciatio ista duo (per, &) conjungat & affirmet de eodem. Sed parum in ista controversia situm est. Quod idem de pluribus ejusdem generis aliis pronuncio, quas ea de causa sciens volens omitto. Cartesianis primum principium est, *Ego sum*, quod ridet ali. Tu verò, si vir Logicus es, hoc principium illo superiore prius, notius & simplicius esse invenies, est nulla verborum amplitudine vel antiquitate se commendat. Simplex enunciatio prior est composita, affirmans negan-

te, pura modali. Cartesianum axioma de semetipso pronunciat unusquisque philosophaturus, quatenus cogitat & mentem habet. Mens enim cogitans intelligitur voce, *Ego*. Atqui mens cuique sua notior est (saltem, quod sit) quàm aliud quodcunque. Et prius est verbum, *sum*, de prima & certa loquens persona, quàm verbum, *est*, de tertio loquens, nescio quo. Substantiæ primæ semper fuerunt ante secundas, notiones primæ ante secundas. Prius de te, hoc homine, cogitasti, quàm de homine in genere; prius de hoc ente singulari, quod offerebatur sensui vel intellectui, quàm de ente generaliter atque universè. Cartesianum axioma demonstrat existentiam alicujus rei. Utique enim initio philosophiæ ostendendum est, dari subiectum, de quo philosophemur. Generale illud, *impossibile est*, &c. per se nullius rei existentiam probat. Potius præsupponere videtur, aliquid esse, quod probandum erat in philosophia prima. Certè præsupponit divisionem ejus, quod cogitari potest, in ens & non ens, indeque natum axioma, *quodlibet est aut non est*. Cartesianum, *Ego scilicet cogitans existo*, nihil præsupponit, cum ab eo, qui reliqua omnia in dubium revocavit ac seposuit, pronuncietur. Et nunquid hi termini, *ego* & *sum* notiores mihi, quàm illi, *impossibile*, *idem*, *simul*, &c.; Absoluti termini annon priores respectivis? Subiectum Cartesiani axiomatis, videl. mens mea cogitans, clara ac distincta cognitione prius intelligitur, quàm alia. At conceptus entis, de quo loquitur axioma, *impossibile*, &c. primus est, notitiâ tantum confusâ & obscurâ, ut patet ex §. 12. 13.

q *plura alia* Ut, *Non ens nulla sunt accidentia*. Nam si quid Non ens inhæreret, tunc esset: atqui non est. *Omne recipiens denudatum esse debet à natura recepti*. Si enim recipere posset id quod jam habet, idem simul ei adesset, & non adesset. *Causa nihil potest dare, quod non habet*, seu, à nihilo.

factum infectum reddi non potest. Nam si id, quod factum est, infectum fieri posset, tum idem simul fuisset, & tamen etiam non fuisset. Hac mente dixit Hieronymus, quod Deus, qui omnia potest, virginem tamen post lapsum reparare non possit.

27. *Plura requiruntur ad esse, quàm ad non esse*, seu plura ad aliquid, quàm ad nihil, quia hoc solum animo quodammodo cogitatur, illud verò insuper esse reale possidet. Affine axioma est: plura desiderantur ad rei constitutionem, quàm ad destructionem, es hörtet mehr darzu / das ein ding sey und besthe / als das es nicht sey oder zergerhe.

28. Quod vulgo aiunt, *inter Aliquid & Nihil infinitam esse distantiam*, in eo primò quidem nomen distantie improprie usurpant pro differentia. Deinde, cum ens creatum à nihilo non possit plus differre, quàm tota suæ perfectionis, quæ finita est, latitudine, perperam illud axioma huic enti applicat atque ita generale faciunt. Dicendum est, *aliquid & nihilum in nullo quidem esse reali convenire, sed alibi tamen magis, alibi minus hæc inter se differre*. Ita in rebus moralibus virtus heroica magis differt à vitio, quàm habitus virtutis ordinarius vel semivirtus; & vitium aliud alio propius ad virtutem accedit.

29. *Quid quid à nihilo magis remotum est, eo plus realitatis obtinet*. Ita, Deus est ens maxime reale, quia nunquam fuit, nunquam esse potest nihil; creata autem entia, quia fuerunt aliquando nihil, & sunt ex nihilo, & relabi possunt in nihilum, multò minus realia & non enti viciniora sunt. Hinc Deus ens simpliciter, Creaturæ entia secundum quid jure meritoque appellantur. Unde ipse se tanquam Jehovah, hoc est Ens, opponit aliis rebus, quæ velut nihil sunt coram eo. Esaiæ X L. 17. & alibi.

30. *Inter esse & non esse*, si generaliter considerantur, nullum datur medium: adeo pugna eorum est inexpiabilis. Nam quodlibet aut est aut non est. Speciatim verò inter hoc esse & hoc non esse medium datur, si illud non esse negat ac tollit non omne esse, sed quoddam tantum: v. g. cæcitas non negat omne esse, sed visum solummodo; ergo inter videns & cæcum invenitur medium, ex. gr. lapis: Medium verò non datur, si illud non esse extenditur ad omnia, quæ in mentem venire possunt, præter illud unum, quod affirmatum & positum fuit. Sic inter hæc duo, homo, non homo, medium nullum est, quoniam negatio ista, non homo, applicari potest omnibus quæ sunt, excepto homine. Latius autem negat non ens, quàm non homo, quoniam illud omne rerum genus tollit, hoc unam duntaxat speciem.

31. Hinc igitur Nihilum seu Non ens distinguitur in *Negativum* strictè sic dictum (nam aliàs omne Nihilum esse negativum docuimus) quo intelligitur absentia entis seu realitatis alicujus in quovis subiecto, ut non visus, non scientia, vel *Privativum*, quo intelligitur absentia entitatis alicujus in subiecto hujus capace. Ita se habent cæcitas in oculo & ignorantia in animo, quia oculus visus & animus scientiæ capax est. Illud simpliciter Nihilum & pura *Negatio* seu negatio negans, hoc sæpius *Privatio* dicitur, cui opponitur *Habitus*, id est, omnis rei perfectio, quæ citra omnimodam ipsius corruptionem ab ea potest abesse. Alle woltchende / doch aber vom wesen des dings absonderliche vollkommenheit.

32. Sic malè vel perperam agere & nihil agere differunt, cum illud nihil simplicem actionis *negationem* designat; sed idem sunt, cum nihil significat *privationem* rectitudinis, quæ in actione esse deberet. Novum quippe non est, ut is, qui malè agit, nihil agere dicatur, nihil scilicet ejus,

à nihilo nihil sit. Nihil potest semet ipsum producere. Nihil potest dividi in ea quæ non insunt, canon Logicus est. Inter juris regulas est illa: *Quod factum est, neque pacto, neque stipulatione, neque ullo quo modo alio fieri potest infectum*.

Putat, ut fur non sit, ut fugitivus non sit, qui revera est; ut nothus non sit, qui talis est, ex concubina videlicet susceptus. Vide plura exempla §. 95. 148. Impingitur in illud axioma, *impossibile est*, &c. quoties definitio admittitur, & definitum negatur; quoties ens quocunque modo negatur habere essentiam; & generaliter, quoties implicatur contradictio, ut §. 18. 38. 90.

r *Plura requiruntur ad esse &c.* Exempla juridica sunt, quod possessio solo etiam animo amittitur, licet non ac-

quiratur solo animo; quod societas vel unius renunciatione dissolvitur. At fustissimè axiomatis hujus usum demonstravi capite ult. defent. Cartes.

s *infinitam esse distantiam* Confer Exerc. de Cognit. Dei & Nostri cap. 61. cujus inscriptio: *Quomodo distantia inter finitum & infinitum sit infinita*.

t *ad virtutem accedit* Magis opponitur temperantiæ intemperantia, quàm stupiditas; magis pietati impietas, quàm superstitio. Prodigalitas propinquior liberalitati, quàm avaritia. Lentitudo mansuetudini vicinior, quàm iracundia, Privativum Nihilum vicinius Alicui, quàm negativum: unde Privatio quibusdam Metaphysicis medium esse censetur inter ens & non ens.

eius, quod agendum erat. Nam quod lege prohibente sit, ipso jure nullum est. Et paria sunt, non fieri, & non debito modo fieri; item, non posse fieri, & non posse honeste fieri. Idolum 1 Cor. VIII. 4. dicitur nihil esse in mundo, quod nihil sit ejus, pro quo habetur & colitur, nullius efficaciam vel utilitatis in salutis negotio.

33. Sæpe quod in uno subiecto privatio est, respectu alterius tantum negatio dicenda: ex. gr. errores nostri, cum ad Deum, utpote qui non dat nobis omnem veri cognitionem, referuntur, sunt tantum negationes; cum ad nos, privationes & defectus. Nuditas corporis nunc privatio judicatur, at in Adamo ante lapsum erat solum negatio. Imperitia per se culpa non est; sed in eo, qui peritiam alicujus rei proficitur, culpæ adscribitur. Sic aliter se habet ignorantia Medicinæ in Theologo, aliter in eo, qui se Medicum proficitur.

34. Negativa vel privativa non semper totam negant rem vel habitum, at sæpe partem vel gradum ejus duntaxat. Ita dum Seneca ait, cum res honesta sit referre gratiam, definit honesta esse, si necessaria est; intelligit honestatis gradum excellentem. Ita infantia proxima in Jurisprudencia negatur habere intellectum, quia perfectè nondum intelligit. Gen. V. 24. Enoch non esse significat non agere in hac vita. Furiosum à demente sic aliqui fecerunt, quod ille animo omnino abalienatus sit, hic non omnino, sed ex parte tantum mentis errore ducatur. Sic impossibilia, individua, inseparabilia sæpe dicuntur, non quod nullo modo, sed quod certo modo vel facile fieri, dividi, separari non possint. Considera Germ. unzeit / unfrucht / unthier etc.

35. Porro etiam si esse & non esse ob ingentem pugnam propriè non misceantur & componantur inter se, sunt tamen multa nomina, quæ simul esse & non esse significant, quod observandum, ut ea, quæ sunt entis, ab iis, quæ sunt non entis, mente saltem discernamus. Sic peccati, adulterii, furti similitudine actionum nominibus vitium est implicatum. In vocabulis acquirere, incipere, fieri, creari, initium, intelligis prius non esse, deinde & potius esse; contra in vocibus amittere, definire, perire, in nihilum redigi, finis, intelligis prius quidem esse, deinde verò & quidem præcipue non esse. Atque hi sunt conceptus quidam mixti, quos utile est ipsa quoque vocum compositione designari, ut sit in *νυκτὶς*, *μισέτης* / *böswicht* / *übelstand* / *aberglaub*.

36. Hæc dicta sumo de Nihilo sive Non ente, quod Enti in secunda significatione accepto contradictoriè vel privativè opponitur. Hoc verò non obstat, quò minus ipsum quoque Nihilum in prima & generalissima significatione ens dici queat. Nempe omnis privatio & negatio, dum rationis

v partem vel gradum] Tirinus ad 1 Sam. XIX. 24. hæc inter alia habet: Nudus verè dicitur tum apud sacros tum apud profanos auctores, qui sui ordinis ac dignitatis ornamentis exutus est. Sic Esaias, cap. 20, nudus incesse dicitur, quod abiecerat vestem prophetalem. Sic David, 2 Reg. 6, dicitur nudus ante arcam saltasse, &c. Sic Seneca dicit, male vestitus & pannosus, nudum vocari solitum; sicut, inquit, illiteratum dicimus non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perducum. Et sicut Esaias 19, siccus vocatur Nilus quando minus habet aqua quam solet. aut quem exigit agri Aegyptii necessitas; & Act. 27, jejuni scribuntur fuisse socii S. Pauli totis 14 diebus, eo quod toto illo navigationis tempore famem tenui admodum cibo sustentassent. Sic Johannes Baptista docuit in deserto, id est, in loco minus populoso. Hæc pertinet proverbium: Nullus sum.

x unthier] Sic unthier non negat omne factum, cum Latinis facinus, à faciendo derivatum, eadem significatione per se usurpetur, ac notet *κακῶς γινώσκειν*, sed negat rectè factum. Nam quæ contra bonos mores sunt, &c. Vide §. 91. & 32. Ita der unzeit opponitur die recte sit. Georg. Herisch. Theol. ling. & sap. Germ. pag. 712. unding enormitas, immoderatio.

y Actionum] hoc est, entium in secunda significatione.

z vitium] hoc est, non ens, seu nihilum privativum.

a creari] Creatio igitur involvit novitatem essendi, ut loquuntur, & quod creatur, ab æterno esse non potest: id quod collatis his omnibus exemplis probatur.

b initium] Sic Janus, à quo Ianuarius mensis, qui initium anni est, nomen habet, bifrons fingitur, utrumque annum, præteritum & futurum respiciens.

c potius, præcipue] quia in omni mutatione denominatio potissimum petitur à termino ad quem, ut calefactio dicitur, quæ ad calorem tendit, frigefactio, &c. Vide notata ad finem §. 24. Nomina fieri, nasci, mori, &c. Grammaticè seu materialiter non sunt composita; at sunt formaliter seu ratione significationis. Referre hæc etiam liceat ad illustranda illa Jurisprudencia dogmata: quod in tempus mortis collata obligatio, ante mortem in persona morientis incipiat, & coepta ad hæredem transmittatur. Institut. lib. 3. tit. 20. §. 14. Ita autem stipulatio concepta, veluti si Titius dicat, cum moriar, dare spondes? vel cum morieris, & apud veteres utilis erat, & nunc valet. Nempe cum mortis & moriendi vocabulo prius esse, deinde non esse significetur, non est simpliciter negandum, quod ad viventem pertineant, quæ morientis sunt.

d definire] Sic dicimus: Finimus Tröis. Alium est de te.

tionis nostræ objectum est, utcunque proprium, hoc est, negativum tantum de ea conceptum ratio formet, * *Ens rationis* dici potest. Vide §. 6. 9. 16.

37. Inderum verò privationes & negationes non negativè, sed specie aliqua excogitata, atque ita positivè intellectui nostro obijciuntur, veluti cum fortunam, quæ nulla est, dicimus cæcam, & porro cæcitatem instar noctis & tenebrarum, has instar nigroris nobis imaginamur. Hæc mentis fictio dum accedit, causa potior est, cur negationes & privationes rationis entia nuncupemus.

38. Præterea per sæpe contingit, ut ea, quæ quidem non implicant contradictionem, sed realitatem aliquam seu possibilitatem habent, imaginemur tanquam hic & nunc existentia, cum tamen non existant. Sic mons aureus utique reale quid est (ein gälten berg ist ein möglich ding) figmentum tamen est, quatenus animo concipitur tanquam hoc aut illo loco existens, atque eo respectu *ens rationis* dicitur. Ubi cogitandum, longè alio sensu rationis entia dici, quæ contradictionem involvunt (die mit sich selbst streitende gedanken) ut quadratus circulus & similia.

39. Et quoniam de rebus corporeis ac visibilibus ab ineunte ætate præcipue cogitare sumus asueri, & reliqua earum ad instar vulgo cogitamus (respice §. 17.) ideo figmenta quælibet magnitudinem, figuram, partes, motum & similia corporearum rerum attributa continent. Sic Cerberus, Sirenes, Gyges centimanus, & alia innumera à Poëtis excogitata: & figmenta sæpe veras imitantur historias. Unde *Ens rationis Entis realis simia* appellatur.

40. Denique jam supra observavimus, omnes mentis operationes in mente esse aliquid reale; unde, cum dico, mens definit, dividit, argumentatur, cognoscit, intelligit, &c. realia sua menti assigno attributa. At quoniam sæpe etiam dicitur, quod hæc sit definitio vel divisio corporis, animalis, &c. & quia isto pacto res, imò etiam non res à mentis nostræ operationibus, quarum tantum objecta sunt, appellatur cognitæ, definitæ, intellectæ, &c. id totum intuitu ipsarum rerum nil nisi *Denominatio externa* est, quam etiam *Ens rationis* eo respectu vocant, cum nullam rebus, de quibus cogitamus realitatem cogitatio nostra afferat. Vide §. 22.

41. At satis etiam de rationis Ente, jam ad illud, quod reale est, revertamur. Hoc autem sic distinguimus: quicquid revera aliquid est & extra nihilum ponitur, id consideramus vel ut habens esse reale in se & per se, quod *Ens reale & Substantia* dicitur, vel ut habens esse reale in alio, quod *Attributum reale*. Germ. ein selbständig ding oder zuständige eigenschaft. Ex. gr. Mens & Sol res sunt, attributa lux & scientia. Notabis autem non pauca *dari Vocabula, quibus modò res, modò attributa significantur*, cujuscmodi sunt intellectus, ratio, mens, actus, lux, &c.

e *Ens rationis*] Quatuor genera Entis rationis distinctè hic explicantur: primum §. 36. secundum §. 37. tertium §. 38. quartum §. 40. Quæ §. 39. dicuntur, pertinent ad entia rationis secundi ac tertii generis.

f *nigroris*] Ut enim serena die mundum luce, tanquam aurea veste, indutum concipimus: ita obscura nocte, quasi atro vestimento obvolutum cogitamus. Unde Virgil. rebus nox absulit atra colorem. Vide quæ observant Juri ad Institut. lib. 4. tit. 1. §. 2. Furtum autem vel à furto, id est, nigro, dictum est, quod clam & obscure fiat, & plerumque nocte: &c.

g *imaginemur*] Cartes. P. I. 16. sumus assueti varias ideas rerum, quæ nusquam sunt aut fuerunt, ad arbitrium effingere.

h *loco*] ubi scilicet non invenitur.

i *alio sensu*] Entia hæc rationis sunt primi generis ex §. 36.

k *Ens rationis Entis realis simia*] Sic peccatum fucò & colore quopiam tegi & incurtari solet. Mich. VII. 3. Super malum manus sunt ad efficiendum bonum, hoc est, malum studiose fingitur, pingitur, ornatur, ut videatur bonum. Simile quodammodo est, quod in Jure sæpe contingit, ut ficta traditio nota aliqua aut symbolo verum repræsentet. Ficta imitantur veras res, & in ratione, & in oratione, si-

quidem fictorum nomina derivantur à nominibus verarum rerum. Sic Iovem Ethnicis fecerunt à Iova, quod ex Iehova contractum. Sed exempla axiomatis plurima habes de dabit. Cartes. pag. 296. seqq.

l *objecta*] non subiecta recipientia. Hinc argumentatur Eustachius in proœm. Log. Quæst. 2. Multum invaluit apud scholas eorum opinio, qui *Dialectica objectum* est, *Ens rationis* voluerunt. Quæ tamen opinio nobis nunquam probari potuit: Etsi enim definitio, divisio, argumentatio, quæ sunt præcipue partes objecti, dici possint entia rationis in ipsis rebus definitis, divisis, aut ratione conclusis, tamen verè & propriè sunt actiones intellectus definitantis, dividantis, argumentantis. Cum igitur ea & similia optime considerari possint à Logico, quatenus sunt entia vera & realia, nempe actiones mentis, quid necesse est, entia rationis pro subiecto vera & realis scientia comminisci? Nempe à potiori fit denominatio, neque Petrum aut Paulum appellas, nomine proprio, quem honorificentioris Doctoris aut Consulis titulo salutare potes.

m *modò res, modò attributa*] Ita Caro in sacris Literis notatur vel substantiam corporealem; vel carentiam spiritus Deivivificantis, ut 1 Cor. XV. 50. Cartes. P. I. 63. Cogitatio & extensio spectari possunt ut constituentes naturas substantia intelligentis & corporeæ &c. & §. 64. sumi etiam possunt pro modis substantiæ, &c.